



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

De soluendo tributo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

DOMINICA XXII. POST

PENTECOSTEN.

De soluendo tributo.

MATTH. XXII. MAR. XII. LVC. XX. ANNO XXXIII.

In cxlvi. imaginem adnotat iuncula.

cxlvi.

- A. Porticus Salomonis, ubi docebat Christus.
- B. IESVS cum Discipulis.
- C. Adorti sunt eum discipuli Pharisaeorum, & Herodianis, ut caperent in verbis; Licet census dari Caesari, an non?
- B. Seuerè oburgans illorum versutiam, & iniquitatē, respondet IESVS; Ostendite mihi numisma census.
- C. Ostendunt illi denarium.
- B. Rogat IESVS; Cuius est imago haec & super scriptio?
- C. Aium; Caesaris.
- B. Respondet; Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesaris, & quae sunt Dei, Deo.
- C. Illius responsum admirati, non potuerunt verbum eius ullum vlla ratione reprehendere.

94.

EVANGELIUM MISSÆ.

MARC. XII. MATTH. XXII. LVC. XX.

T^a Vnc abeuntes Pharisei consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.

Et obseruantes

ad eum quosdam ex Pharisæis

Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis,

miserunt insidiatores, qui se iustos simularent,

& Herodianis,

ut caperent eum in sermone, & traderent illum principatui & potestati Præsidis.

in verbo

Qui venientes dicunt ei;

Et interrogauerunt eum,

dicentes; Magister, scimus quia verax es, & viâ Dei in veritate doces, & nō est tibi cura de aliquo; nō enim respicis personam hominum.

scimus quia rectè dicis, & doces; & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces;

& non curas quenquam; nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viâ Dei doces.

dic ergo nobis quid tibi videtur;

MAR.

tributum
an non dabimus?

licet e censum dare Cæ-
sari, an non?

licet nobis tributum dare
Cæsari, an non?

Qui sciens versuiam
illorum,

Cognita autē IESVS ne-
quitia eorum,

Considerans autem dalum
illorum,

ait illis;

ait;
Quid me tentatis hypo-
crita?

dixit ad eos;

afferte mihi denarium,
ut videam.

Ostendite mihi numisma
census.

At illi e obtulerunt ei de-
narium.

Et ait illis IESVS;

inscriptio?

Cuius est imago hæc &
superscriptio?

cuius habet imaginem &
inscriptionem?

Dicunt ei,
Cæsaris.

Respondentes dixerunt;
Cæsaris.

Respondens autem IESVS
dixit illis;

Tunc
ait illis;

Reddite ergo quæ sunt
Cæsaris, Cæsari; & quæ
sunt Dei, Deo.

Et mirabantur
super eo.

Et audientes mirati sunt,

Et non e potuerunt verbum
eius reprehendere coram
plebe: & mirati in responso
eius, acuerunt.

& relicto eo abierunt.

ADNOTATIO.

A. Porticus Salomonis Hierosolymæ, ubi IESVS M adorti sunt versuti discipuli Pharisæorum, à suis submissi preceptoribus, ut ei insidiarentur. & in sermone caperent, at que apud Romanos accusarent, vel plebi facerent odiosum. Hi secum adducunt Herodianos siue Herodis milites, siue sectarios homines, qui dicebant Herodem Antipatrum Mesiam fuisse, quod in eius regno defecisset à tribu Iuda sceptrum.

B. IESVS cum Discipulis suis.

C. Veniunt autem ad eum Discipuli Pharisæorum & Herodiani: proponit vnus IESVS sapientie Patris infinitæ questionem astute, prius

tamen illius animū blanditijs & laudibus aspergens; Magister, inquit, scimus quia verax es, recte dicis & doces, nec est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum, neque vides in faciem, sed in veritate viam Dei doces: licet nobis dare tributum Cæsari, an non? Quorsum potest & tam varie artes, o Phariseasiri, ante in-
errogationem? ut animum eius adulatione de-
liniretis scilicet, & eò pelliceretis, ut negaret tributū dari, nec respiceret Romanorū gratiam, ut Ioazarus Pontifex Cæsaris & Quirini, sed Ios. Iuda potius Gaulanitis sententiā & factionem
sectaretur, qui auctor fuit gravissimæ seditionis Iudæi,

Judeis, docens nihil esse aliud censum Caesari dissolvere, quam prodere auitam libertatem, & manifestam seruitutem profiteri.

B. Quid benignus IESVS? Perspecto eorum dolo & nequitia respondet, senerere illos oburgans; Cur me tētatīs hypocrisis, sanctitatem simulantes, & zelum legis & libertatis, cum iniquo animo sitis & maligno, mihi verò dolo malo insidiamini? ostendite mihi census numisma.

C. Ostendunt denarium, trium scilicet cum semisse solidorum numisma, quod est drachma.

B. Rogat cuius illa sit imago & superscriptio; ut ex illorum confessione illos confuteret.

C. Respondent; Caesaris. Tiberium intelligamus priuignum Augusti. Colligit sapientissimè IESVS; illud igitur numisma est Caesaris. Quid ergo est cur non soluat is quae sunt Caesaris, Caesari quod vos ipsi vestra professione confitemini.

B. Reddite quae sunt Caesaris, Caesari; sed ita tamen; ut quod est maius, & necessarium magis, simul quae Dei sunt, Deo reddatis: imaginem ille denarius gerit Caesaris & inscriptionem, vos in animis vestris Dei; ut illinc Caesari deberis eius iura, ita hinc Deo diuinam gloriam, & obedientiam, & sacrificium. Ita sapientissimè illorum nequitiam confutauit; nam hoc responso nec poterant offendi Romani, nec plebs: illis fat erat

audire, reddenda quae erant Caesaris, Caesari; plebs cum videret esse Iudaeam sub Romanorum imperio, illi tributa solui, moderatè videbant IESVS respondisse, tacito nomine tributi, quum & dicebat quae negari non poterant, & eius natura postulabat. Quod si ad tributum videretur illud spectare, ad id occasione dederant Pharisaei; nec tamen aliud efficiebat, quam quod duci ex denarij ostensione, & illorum responsione, poterat: haec verò omnia condeciebat quod subiunxerat Christus; Reddite quae sunt Dei, Deo. Hinc doctrina quam Paulus docet; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; & quae eoloco prosequitur. Nam quum inquit Christus; Reddite quae sunt Caesaris, Caesari; obedientiam legitimo Principi seculari docet, etiamsi ethnicus sit: quae fuit doctrina Ecclesiae perpetua, modò Deo magis quam hominibus obedientia deferatur, neque precipiat potestas humana quod potestati & voluntati diuinæ aduersetur. Obstruxit hoc responso os aduersarij subdolis, neque potuerunt ne falsam quidem & effictam rationem coram plebe adducere.

C. Mirantur, tacent confusi, eo insalutato abeunt: consequuta haud dubie est laus Christi à plebe & bonae mentis hominibus.

MEDITATIO.

Mat. 2. Magnus es, Domine IESVS, in omnibus vijs tuis, & in omnibus operibus tuis sanctus: nequitia Pharisaeorum voluit te circumuenire & calumniari sua interrogacione, verum non potuit; ut nunquam potest concilium vllum contra te Dominum. Eorum erat malignitas, ut te negantem solui debere triburum, atrociter apud Pilatum accusarent seditionis & rebellionis. Sin diceres soluedum, te facerent plebi inuisum, & vanum hominem clamarent, ac legum & libertatis auita proditorem. Verum tu illorum nequitiam & malignitatem ita confutasti, ut ne coram plebe quidem quicquam hiscere auderent, sed mirarentur potiùs, tacerent, & te relicto abirent confusi: quod fuit indicium & vis tuae diuinæ potestatis. Sed quod respondisti expono nobis, bone IESVS. Sciebam ego scriptum esse ablatum à Iudaismo in meo aduentu in mundum, confensisse praterea sciebam Iudaeos in Caesaris principatum, esse Caesari subiectos, quod & ipsi sunt professi in passione mea; itaque Caesari debebant tribu-

tum: solueram ego didrachma, scandalum futurum docueram si non soluissem, nec significaueram Romanos non posse exigere, sed me non debere soluere, cuius veritatis Iudaei non erant capaces. Haec omnia cum possem respondere, fuit mea sapiētia tam multa non adducere, sed illud dumtaxat quo illa possent intelligi, & posset simplicitate responsi omnibus satisfieri: nam denarij & imago & inscriptio professio erat principatus Romanorum, quare Caesari reddenda erant, quae illa professione significabantur. Caeterum ne propterea crederent prodi legem Dei, simul esse reddenda Deo, quae Dei sunt, docui. Nam si Caesari reddenda quae eius sunt, non pugnat hominum obedientia cum Dei, modò magis Deo quam hominibus obediat, nec homini contra quam velit Deus obediat: nam omnem potestatem à Deo esse, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistere, tradidi ego per Apostolum meum Paulum. Doctrinam hanc grato animo à te recipimus, Domine IESVS Christe; verum quid ad nostram vilitatem spiri-

Mat. 17.

Rom. 13.

tus

tus attineat, cupimus intelligere. En vobis o boni: duplicem obedientiam & subiectionem deberis, Deo primam, alteram praterea legitimis Potestariis & Superioribus vestris. Et enim Dei sapientia constituit, ut per Vicarios suos & Praefectos domus sua gubernaretur, tum propter humilitatem, dum homini homo se subdit propter Deum; tum vero ne arrogantes fierent & insolentes homines, dum singuli pro suo capite voluntatem Dei interpretantes omnia replerent seditionibus. Ceterum quo ad maiorem vitae perfectionem vocantur homines, eo perfectius Deo obedire debent, & sua proportione perfectius hominibus. Itaque qui ad religionem estis vocati, ut perfecte Deo obedire debetis, ita hominibus propter Deum perfecte, & in homine Deum contemplari praesentem, & venerari vobis iubentem, vos gubernantem, & spiritu gustare quod ego dixi; Qui vos audit, me audit. Hoc lumen si miseritis, difficilis erit vobis vestrorum Praefectorum obedientia: ille enim sensus meae praesentiae & meae obedientiae in homine absorbet omnes asperitates, quae absque hac luce & virtute spiritus sunt odiosa & molesta. Itaque potestis interpretari esse haec inter se coniuncta; obedire Deo, & hominibus; nam in eo ipso quod propter Deum obeditis, Deo obeditis, uti ego docui per me, per meos Apostolos. Illud tamen animadvertite, ut longe praestantior Dei est obedientia quam hominum, longe excellentiora praecipia illius quam horum; ita multo maiorem adduci debere & deuotionem animi & promptitudinem ad Dei quam homi-

1. Pet. 2.

Luc. 10.

1. Tim.

num praecipia implenda. Quare verissime dixit etiam in hoc sensu Petrus Princeps meorum Apostolorum; Obediendum Deo esse magis quam hominibus: atque adeo cum obeditis hominibus, Deo magis obeditis, quia illis propter hunc obeditis. Obiectum enim obedientiae Dei mediatum Deus est, per praecipium videlicet diuinum auctoritas infinita & securitas: obiectum vero hominum obedientiae mediatum homo, per praecipium humanum, sed ad quod dandum a Deo accipit auctoritatem homo. Ita fit ut eius auctoritas sit humana, secuta etiam, nisi quatenus ab homine proficitur, qui errare potest. Et tamen quamuis errare homo praecipiendo possit, qui homini propter Deum obedit errare non potest, nisi aperte contra Dei praecipium sit hominis praecipio. Colligite hinc ad virtutes theologicas, fidem, spem, charitatem, & in hanc praecipue maiorem animi puritatem & vim, maiorem etiam deuotionem esse conferendam; ut in quibus est Deus, per quas proximè operatur & se aperit, praesertim per charitatem: ad hanc omnia vestra referatis, haec est enim finis, in hac est vita aeterna. In hac mortalitate mihi admodum placet ut sitis tam diligentes in exercitio virtutum moralium, modo in diuinis sitis longè feruentiores & attentiores: nam quorsum tandem illae vobis traditae sunt, nisi ut ad has contendatis, has plenius & fructuosius exerceatis? Gratias tibi ago & habeo, magne IESU, docuisti me de tua benignitate; eadem faciat ut quae intellexi opere expleam. Amen.

DOMI-